

## CAP. I.

DE

## ADORATIONE SANCTORUM

§. I.



Vandoquidem veremur, ne quis forte in principio statim disputationis nostræ hæreat, mireturque eum, quem servamus, ordinem, in eoque illud imprimis, quod postremo demum loco de Mutilatione S. Cœnæ agamus, non alienum erit hoc loco, antequam progrediamur, monere, hunc ordinem non magis esse nostrum, quam ipsius *Bellarmini Becani*, & aliorum, quos veluti principes ducesque, eorum, qui sub signis Anti-Christi militant, *κατὰ πόδα* sequi visum fuit. Accedit illud, quod major vis iniquitatis cernatur in prioribus de Invocatione Sanctorum, & Purgatorio capitibus, quam in postremo de mutilatione Eucharistiæ. Equidem & illa Pontificiorum de invocat. Sanct. Doctrina, & ista de Purgatorio, & hæc de S. Cœna impia maxime est & propria Anti-Christi ut jamjam demonstrabimus; nihil tamen prohibet dicere, in his aliam alia esse deteriorem. Idque propterea maxime, quod nefarium magis esse & detestandum facinus videtur, ipsius commenta Dæmonis hominumque paria facere, & quod horrendum dictu, antepone re divinis, quam, quæ vere sunt divina, mutilare, spoliare, lacerare. Illo priori extollit se supra Deum, supraque ea, quæ sunt Dei, Anti-Christus; hoc posteriori parem se esse vult, aut non minorem Deo. Sed nunc ordine

*in Controv. Rel. Christ. T. I. in Manual. Controv.*